

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3245

Autre(s) référence(s) : Round 171

Auteur(s) : Galeran IV, Meulan (comte)

Bénéficiaire(s) : Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1154

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Galeran (III), comte de Meulan, ayant construit une chapelle en l'honneur de Notre-Dame à l'entrée de son château de Vatteville, réserve les droits paroissiaux de l'église mère, dédiée à saint Martin, laquelle, d'ancienneté, appartient à l'abbaye de Saint-Wandrille avec les dîmes de la forêt comtale de Brotonne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Lot Ferdinand, *Études critiques sur l'abbaye de Saint-Wandrille*, Paris, Champion, 1913, n° 85, p. 150-151.

Texte établi d'après a

Christiana religio ad laudem et gloriam nominis Christi quicquid in presenti ecclesia agit ideo fit, ut ab eo remuneretur in celo. Huius incola felix anima est cuius vita summa beatitudo est. Ob hanc igitur adipiscendam, ego Gualerannus, Dei gratia comes Mellentis et amator religionis, in possessione mea propria, que uulgo Wateuilla nuncupatur, ante fores mei castri in honore perpetue virginis Marie quandam capellam construxi, et quia mater ecclesia, videlicet beati Martini cum tota decima agrorum, pecudumque domesticorum, et oblationibus altaris pretaxate ville, necnon etiam omni ferarum et reddituum de foresta comitis que dicitur Brotonia, collata ab antiquo Deo et sancto Wandregisilo Fontanellensis cenobii fuerat, monachis eiusdem loci edificium capelle noue in futuro visum est nociturum ; et ne vel versucia diabolice fraudis uel studio humane calliditatis fratres hac de causa aut a nobis impugnarentur aut a successoribus nostris deprimerentur, prouidente domno archiepiscopo Hugone venerabilis vite, et Rogero, abbate predicti cenobii, et me assentiente, una nostris cum hominibus, decreuimus ac statuimus ut, quemadmodum una parrochia esse dinoscitur, ita unus sacerdos utriusque et matri ecclesie scilicet et supposite capelle deseruiat. Jura uero capitalia ad honorem matris ecclesie reseruari censuimus, sepulturam videlicet defunctorum et utriusque sexus desponsalia et mulierum purificationes et honorem paschalis cerei et baptisterium, excepto timore mortis. Quicquid autem a nobis, seu successoribus nostris, uel ab eorumdem familiis siue superuiuentibus, domino Deo in supradicta capella oblatum fuerit, monachi et presbiter vicarius eorum absque capellanorum partitione ex integro habeant et possideant. Ut autem hec conuentio tam nostris temporibus quam nostrorum successorum rata et inconcussa permaneat, suppositione nostri sigilli et nostrorum hominum attestatione cartam presentem signauimus et subscriptione Agnetis, uxoris mee, et filiorum meorum Roberti et Waleranni. † Ego Walerannus subscripsi †. Ego Robertus subscripsi †. Ego Willelmus de Pino †. Ego Adam †. Ego Rad[ulfus] de Mannauilla.

Actum est hoc anno uerbi incarnati M^oC^oLIII^o, Adriani pape anno I., Henrici uero regis secundi Anglorum et ducis Normannorum et Aquitanorum et comitis Andegauorum anno regni eius I^o.

